



The Holy See

PIUS PP. X

LITTERAE

**QUIBUS PIUS PP. X GRATULATUR ABBATI COENOBII
AD CRYPTAHI FERRATAM OB SAECULARIA SOLEMNIA S. NILI,
BENE AUSPICANS DE UNIONE ECCLESIAE ORIENTALIS CUM ROMANA***

DILECTO FILIO

ARSENIO PELLEGRINI SODALI BASILIANO
ABBATI COENOBII AD CRYPTAM FERRATAM

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Novies saecularia appetunt sollemnia quibus, tua, dilecte fili, aliorumque tecum virorum eximia cura, beatum Nili natalem, monachorum graecorum in Occidente Patris, simulque conditi ab ipso Coenobii istius ortum grata multorum pietas commemorabit. Eam Nos faustitatem, utpote a Romani Pontificatus gloria non alienam, dignam ducimus, quam propensae voluntatis testimonio et commendatione non vulgari ornemus. Id ipsum novimus ab illustri Decessore Nostro factum; qui, quum accepisset huius celebrandae memoriae posita a te esse initia, ac, praeunte Venerabile Fratrem Nostro, Seraphino Vannutelli, Tusculano tunc Episcopo, proprium institutum Consilium curandae rei, datis ad te litteris, magnopere id probavit inceptum, prosperos exitus eosque catholicae unitati salutare precatus. Nemo est qui nesciat Leonis de reconciliandis cum Romana Ecclesiis Orientalibus generosa molimina: nec minus patet consideranti, quantum in historia Basiliani Coenobii, si quidem bono in lumine collocetur, insit ad eam reconciliationem momenti. Etenim quod graeca disciplina monachi, ad Tusculum honesto excepti hospitio, sed suas fere in gremio Romanae Ecclesiae posuerint, quod longo saeculorum spatio Pontificum Romanorum gratia et beneficiis floruerint, quod proprios ritus eisdem auctoribus, retinuerint atque adhuc retineant sinceros, ita ut veteris unitatis nobile specimen exhibeant, quid haec luce clarius indicant, nisi Apostolicam Sedem sacris institutis ritibusque Orientalium, nedum parum aequam

esse, sed amicam plane; ideoque per ipsam non stare, quominus triste dissidium componatur? Ista quidem, opportune a vobis illustrata, uti Decessoti Nostro spem bonam afferebant, ita afferunt Nobis, qui non absimili studio ducimur in hac causa: fore scilicet et suadeant multos et praeiudicatas opiniones deponere, et sanctam Nobiscum coniunctionem instaurare. Causa sane perdifficilis, sed quae bonis omnibus, qui catholicam unitatem divino munere participant, iure accuranda sit. Quare vobis pro eo, quod in ipsam confertis sollertiae et laboris, cum gratum testamur animum, tum caelestia auxilia, sine quibus manca est omnis contendo, adprecamur. Quorum auspiciem, eademque peculiaris Nostrae benevolentiae testem tibi, dilecte fili, ceterisque egregiis viris faustitatis huius celebrandae tecum curatoribus, atque universis tuis sodalibus Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI Septembris anno MDCCCIV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X

*AAS, vol. XXXVII (1904-05), pp. 148-149.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana